

## Band II., Nr. 319, Seite 30-31

*Papst Cölestin II. nimmt das Kloster Anhausen in seinen Schutz, bestätigt dessen Besitztum und erteilt ihm verschiedene andere Begünstigungen.*

Lateran, 1143. November 26.

Celestinus episcopus, servus servorum dei, dilectis filiis monachis sancti Martini de Ahusen, tam presentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Desiderium, quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, et peentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in domino filii, venerabilis fratris nostri, Gualteri Augustensis episcopi, precibus inclinati, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, quod ab egregie recordationis viro Manegoldo, palatino comite eiusque filiis, prefato videlicet fratre nostro G., nunc Augustense episcopo, Adelberto et Odelrico in proprio allodio constructum est et beato Petro cum omnibus ad ipsum pertinentibus oblatum, sub eiusdem apostolorum principis et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones vel decimas, quecunque etiam bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Concambium vero, quod de loco, in quo ipsum monasterium situm est, cum ecclesia sancti Petri de Totingin, ad cuius parrochiam pertinebat, utriusque partis assensu rationabiliter factum est, auctoritate apostolica confirmamus. Liceat autem vobis communi consilio advocatum, quem ad defensionem eiusdem monasterii utilem esse cognoveritis, libere eligere, ipsumque, si inutilis apparuerit, remove et alium quem utiliorem provideritis substituere. Obeynte vero abbate, qui pro tempore ibidem fuerit, nullus qualibet surreptionis astutia vel violentia preponatur, sed liceat vobis communi consilio vel partis consilii sanioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam absque ullius contradictione abbatem eligere. Crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipiatis episcopo, si quidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem sedis apostolice habuerit, et ea gratis et absque aliqua pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quemcunque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus

## II

auctoritate quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut quicumque se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia matricis ecclesie. Ad indicium autem huius a sede apostolica perceptę libertatis, aureum unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva diocesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bonę actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

(*Rundzeichen.*)<sup>a</sup> Ego Celestinus, catholicę ecclesie episcopus, subscripsi. (*Monogramm für Bene valete.*)

+ Chonradus, Sabinensis episcopus, subscripsi. + Ego Theodeuvinus, sanctę Rufine episcopus, subscripsi. + Ego Stephanus, Prenestinus episcopus, subscripsi. + Ego Gregorius, presbyter cardinalis tituli Calisti, subscripsi. + Ego Thomas, presbyter cardinalis tituli Vestine, subscripsi. + Ego Petrus, cardinalis presbyter tituli sanctę Susanne, subscripsi. + Ego Gregorius, diaconus cardinalis sancti Serigi et Bachi, subscripsi. + Ego Otto, diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum, subscripsi. + Ego Hymbaldus, diaconus cardinalis sanctę Marie in via lata, subscripsi. + Ego Octavianus, diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano, subscripsi.

Datum Laterani per manum Gerardi, sanctę Romane ecclesie presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, VI. kalendas Decembris, indictione VII., incarnationis dominice anno MCXLIII., pontificatus vero domni Celestini II. pape anno primo.

---

<sup>a</sup>Mit *SCS Petrus* und *SCS Paulus* in den beiden oberen, *Celestinus PP. II.* in den unteren Kreisabschnitten und mit dem Denkspruch: *Fiat pax in virtute tua et habundantia in turribus tuis* als Umschrift.

### III

Der Textabdruck folgt dem Original.

An rot-gelber Seidenschnur hängt die Bleibulle mit den bekannten Kopfbildern und dazu gehöriger Überschrift auf der einen und CELESTINVS. PP. II. auf der anderen Seite.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

HStA Stuttgart

### Signatur/Titel des Originals:

A 471 U 2

### Überlieferung und Textkritik:

War ehemals im bischöflichen Archiv in Augsburg.

### Editionen:

CASPAR BRUSCH: *Monasteria Germaniae praecipua ac maxime illustra. Centuria prima, in qua origines, annales ac celebriora cuiusq[ue] monumenta [...] recensentur*, Ingolstadt 1551. [2. Aufl.:] *Chronologia monasteriorum Germaniae praecipuorum ac maxime illu*, S. 1 (Schluss weggelassen). Besold: *Documenta rediviva*, Anhausen, Nr. 3, S. 333. Petrus: *Suevia ecclesiastica*, S. 91. ANTON STEICHELE (HRSG.): *Beiträge zur Geschichte des Bisthums Augsburg*, 2 Bde., Augsburg 1850-52, Bd. 1, 2, S. 259, Nr. 4.

### Regesten:

PHILIPP JAFFÉ (HRSG.): *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII*, 2. verb. und verm. Aufl. bearb. von Samuel Löwenfeld, Ferdinand Kaltenbrunner und Paul Ewald, 2 Bde., Leipzig 1885-88 8443. *Germania pontificia*, Bd. 2,1, S. 111 f., Nr. 3.

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Lateran

### Ortsindex:

Anhausen Wohnplatz (4093)

Anhausen, Herbrechtingen, HDH

Augsburg, A

Dettingen am Albuch Wohnplatz (4048)

Dettingen am Albuch, Gerstetten, HDH

Palestrina, Latium, Italien

Rom, Latium, Italien

Sabina